Theses botanicae et medicae de rosa de Jericho, vulgo dicta ... / [Augustus Fridericus Mergiletus].

Contributors

Mergiletus, Augustus Fridericus, active 1700-1701.
Mapp, Marc, 1632-1701.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Johannis Friderici Spoor, [1700]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/u8q4s6qq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

36569/P
36

J. J.

THESES BOTANICÆ ET MEDICÆ

DE

ROSA DE JERICHO,

vulgo dicta,

De quibus

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

DOMINO MARCO MAPPO,

Philoſoph. & Medicinæ Doctore, Rei Botanicæ & Pathologiæ in Univerſitate Argentinenſi Profeſſore Publico, Reique publicæ Phyſico ordinario,

Domino Patrono, Fautore & Præceptore ſuo omni honoris nomine pie ſemper proſeqvendo,

in Cathedrâ SOLENNITER

reſpondebit

AUGUSTUS FRIDERICUS MERGILETUS,

Argentinenſis,

Die Menſis Februarii Anno 1700.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

INSTITUTI RATIO ET OCCASIO.

Uæ Curioſorum inter cætera paſſim ornat Muſæa, Mulierularum pretioſioris & arcani ad puerperia adparatus partem conſtituit, Virorum autem præclarorum torſit ingenia, vulgò dicta Roſa de Jericho, admirationem etiam noſtram traxit ad ſe, cum Filius meus MARCUS MAPPUS, Med. D. ſuperiori anno illam ipſam in vaſe terreo ex ſemine, cujus inter alia per amicum etiam βοτανόφιλον compos factus fuit, germinantem coleret, ut arida iis quæ ex Palæſtina poſt religioſas peregrinationes à quibusdam allatæ traduntur, plane eſſet & ſit etiamnum aſſimilis. Planta eſt ſui generis, ſpithamam à terra vix ſuperans, ex lignoſis & conſertis ab ipsâ radice

enatis ſtolonibns, numeroſos, rigeſcentes, virides ramulos, foliis oblongis, læte viridibus, vix uncialibus, ſinuoſis, craſſiuſculis ornatos ſpargens; cujus flores minimi tetrapetali, candidi, odoris expertes, quornm quemlibet ſequitur capſula ſeminalis duobns locnlis membranula diſcluſis, duo ſemina rotunda parum compreſſa continens, numeroſis capſulis racemi formam utcunque referentibus; Radix autem lignoſa ſimplex. Habet hoc ſingulare hæc Planta, quod verſus hyemem numeroſi illius Ramuli, rigeſcentes alias, cancellatim & reticulatim quaſi in globum coëant, magnitudine fere manus in pugnum contractæ; denique dum exareſcit cinerea evadat. Lignoſam hanc Plantam plane exſuccam & aridam fama eſt, ex Palæſtinæ Hierichuntinis hortis aut agris adferri in Europam, ab illis qui loca illa devoti ſalutarunt; Illam exſuccam, ut dictum, & aridam Plantam, ſi, ea nocte quæ præcedit diem, quo celebramus feſtum Nativitatis Chriſti, radix ejus in aqua mergatur, ſponte ſua aperiri, ramulosque exporrigere, ſecundum quosdam etiam florere, nec ante feſtum paſchale claudi; Eandem poſt decur-

decurſum plurimorum etiam annorum, Parturientium Obſtetricibus atque Matronis adſtantibus verum partus tempus indicare, dum demiſſa in aquam, eo ipſo momento, quo fœtus perrumpit membranas atque ex utero emergere ſatagit, fatiſcit & ſe manifeſte explicat, adeoque certiores adſtantes Mulieres reddit, de ſtatu parturientis; quando autem aperitur, ſtatim parere mulierem ſine periculo; Aquam Vinumque in quibus hæc macerata eſt, partus accelèrare & lenire dolores? Hæc cum omnem admirationem ſuperent, conſtitui illius Plantæ naturam & quæ de illa feruntur, paulo diligentius excutere, eumque in finem amico Eruditorum colloquio ſequentes exponere theſes.

THES. I.

QUamvis Matronæ Auſtriacæ Periclymeni vulgaris duo genera Roſen von Jericho appellitent, & *Johannes Fragoſus* Toletanus Florem etiam Solis Peruvianum maximum, Helenium Indicum maximum dictum, ſalutarit Roſam Hierichontis; attamen communiter alias, nomine Roſæ de Jericho, venit ſingularis illa Planta, cujus à Botanicis recentioribus, magno numero mentio fit, & quæ exſiccata lignoſa & conglobata, arcani quarundam mulierum ad puerperia adparatus partem conſtituit, & in Muſæis Curioſorum, tanquam res mirifica, oſtentatur, atque in Vigilia Nativitatis Chriſti & circa parturientes, motu ſuo ſignificativo ſe commendare, à multis creditur.

TH. II.

Hæc eadem eſt, quam Religioſi (qui pluribus olim Plantis nomina à Divis Sanctisve, aut rebus variis quibus hi uſi fuere, deſumpta impoſuerunt,) & Mulieres (quæ amant ejusmodi nomina myſterium quaſi involventia) & Medici (qui in multis receptam tolerant loquendi conſvetudinem) vocant *Roſam S. Mariæ & Hieroſolymitanam*, à loco unde fama mirificæ naturæ & virtutis divulgata fuit.

TH. III.

Roſa de Jericho dicta Veteribus, qui Plantarum Hiſtoriam adornarunt, indicta: quod tanto minus ipſis vitio verti poteſt, quia, hodierna adhuc luce, ſubinde

in

in Syria Plantæ inveniuntur quarum nulla ante fuit in Europa cognitio, delineatio aut descriptio.

Th. IV.

Falli *Robertum Constantinum*, quando *Theophrastum Eresium* Histor. Plantar. l. IV. c. 9. Rosam Hierichuntinam delineasse asserit, luculenter satis ostendit *Johannes Bodæus à Stapel* in Comm. ad l. c.

Th. V.

Quando traditionum de Rosa de Jericho authores, quos *Petrus Bellonius* notat, dictis nominibus illam ornarunt, videntur pro auctoritate in illis locis nomina ad intentionem suam accommodasse: Dum vero Peregrinatores devotos hujus, tanquam rei pretiosissimæ participes fecerunt, additis de mirifica illius natura traditionibus, hinc per Europam orta fama magnarum nuncia rerum.

Th. VI.

Quod tamen illam traditionum de Rosa Hierichuntica partem attinet, quæ concernit muliebrem sexum & parturientes, illa aliam etiam & altiorem originem agnoscere videtur, quoniam ex Peregrinatorum, qui Syriam & Regiones vicinas perlustrarunt, annotatione constat, quando Hierosolymis venales importantur Rosæ de Jericho dictæ, Judæos illas anticipare & magno studio coëmere, quoniam magni apud illos æstimantur, & in commoda sexus muliebris asservantur, cum tamen Judæi

Tra-

Traditionibus Christianorum Religiosorum fidem non habeant.

TH. VII.

Si ad receptam antiquissimis temporibus Plantarum divisionem, in Arbores, Frutices, Suffrutices & Herbas (quâ melior hactenus prolata non est,) respicimus, Suffrutex vel Fruticulus erit dicenda Planta quæstionis.

TH. VIII.

Quæ communiter dicitur Rosa de Jericho, non est Rosa. Nec Genus idem nec differentiam agnoscit eandem.

TH. IX.

Rosa de Jericho non est Amomum, ut *Euricius Cordus* Pater, & *Valerius Cordus* Filius & *Julius Cæsar Scaliger* tradiderunt.

TH. X.

Cum variæ de Amomo sint sententiæ, in eo tamen conveniunt, esse aromaticum quid. Cum vero Rosa de Jericho dicta, fruticulus sive virens, sive aridus, flosculi, & semina illius, nihil spirent aromatici, *Julius Cæsar Scaliger* equidem speciose respondit, *Natalium humori hoc & vetustati esse attribuendum: non autem detrahendum speciei, propter accidentium quorundam absentiam.* Sed cum hodie virens & recens, siccata & arida, flosculi, semina, sensuum examini possint subjici, ista quidem excusatio nulla est.

TH. XI.

TH. XI.

Turpiter ſe proſtituerunt, qui mangonio gratum atqve ſuavem huic Plantæ exſiccatæ odorem conciliare voluerunt, forſan in gratiam hypotheſeos: nec minus illi, qui Radicis, ut plurimum ſatis ſimplicis, excurrentes fibras doloſe demunt, ipſamque Radicem pro Pediculo Roſæ imaginariæ venditant.

TH. XII.

Mirum quod quibusdam in mentem venire potuerit, Roſam Hierichunticam eſſe Aſpalatum.

TH. XIII.

Hodiernorum Curioſorum Botanicorum pars maxima, pro vera & genuina ſpecie Thlaſpias habet.

TH. XIV.

Hi autem reſpondere adhuc debent, ad argumenta in contrarium adducta, à percelebri Botanico Bononienſi *Giacomo Zanoni*, in Hiſtoria ſua Botanica Italico idiomate conſcripta, Scilicet. 1. Quod Capſula ſeminalis Roſæ de Jericho referat caput rotundum Aviculæ cum ſuo roſtello. 2. quod Semen ejus examinatum per microſcopium, magis referat ſemen Myagri, quam Thlaſpios. 3. quod ſemen ejusdem non ſit acre, ſicut ſemen Thlaſpi.

TH. XV.

Interim, quod Dn. *Camerarius* ſcripſit in Horto ſuo, *Roſa Hierichuntina dicta aliquid ferme habet commune cum Thla-*

 ſpio,

ſpio, firmo ſtat talo, etiam ſecundum curioſorum hujus ſeculi Botanicorum notas characteriſticas, unde determinationem generis ſumendam cenſent.

TH. XVI.

Qui Plantam quæſtionis adpellant Thlaſpi fruticoſum de Jericho, in eo ſaltem hallucinantur, quod non ſit de Jericho.

TH. XVII.

Roſa de Jericho dicta circa Jericho aut in Jericho, ut in loco natali, non naſcitur.

TH. XVIII.

Qui ſcribunt, in Judæa prope fontem Eliſæi, arbores creſcere inſtar Prunorum, ſpinoſas tamen, in quibus flore naſcantur, quæ Roſæ Hierichunticæ vocantur, nugas vendunt.

TH. XIX.

Terra, quæ hanc puſillam plantam ſponte profert, eſt Arabia deſerta, in locis arenoſis.

TH. XX.

Non ſolus *Petrus Bellonius* oculatus hujus rei eſt teſtis, ut communiter ſolus allegatur, quamvis doctus & ſagax peregrinator, inſtar multorum eſſe poſſet, qui, quæ in Oriente rerum naturalium cognitioni inhians obſervavit, annotavitque, erudito orbi bona fide tradidit.

TH.

TH. XXI.

Confirmantur quæ de Planta quæſtionis ejusque Patria ille habet, ab aliis curioſis, qui ex devotione quidem in Terram, quam vocant Sanctam, iter ſuſceperunt, Naturalia tamen ſingularia in quæ inciderunt, diligenter examinarunt, annotarunt & Itinerariis ſuis, ſuo quisque idiomate, inſeruerunt.

TH. XXII.

Sunt ex illis, qui fidem nobis faciunt, tanta in notata regione in locis arenoſis provenire copia, ut iter facientes, in defectu lignorum ſarmentorumve, illa ignem alant, ad excoquendos cibos.

TH. XXIII.

Plures eſſe Species Roſæ de Hiericho, nullo hactenus indicio conſtat.

TH. XXIV.

Solo illa patrio carere poteſt & calore Regionis, in Regionibus etiam frigidioribus, atque etiam in noſtra feliciter ſuccreſcens.

TH. XXV.

Hinc nullum eſt dubium, quos *Petrus Bellonius* Traditionum de Roſa Hierichuntina auctores nominat, in Hierichuntinis Hortis eam facile plantare potuiſſe, ex ſemine ex Arabia deſerta accepto, forſan in & cum Roſis Hierichuntinis dictis, quæ fere quotannis ex Arabia deſerta Hieroſolymas importantur.

TH. XXVI.

Quamvis lignosam habeat radicem, lignosi etiam evadant ramuli illius Plantæ, attamen non est perennis, sed annua.

TH. XXVII.

Non frustra annotavit *Dn. Camerarius* Rosam Hierichuntinam infastari à Campis viridibus. Nam nisi virentem & florentem ab illis vindices diligenter, folia, flores, capsulas seminales depascunt.

TH. XXVIII.

Quando *Petrus Bellonius* scribit, notatos Traditionum supra tactarum de Rosa Hierichuntina authores, Argumentum sumsisse ex Sacra Scriptura: Ecclesiast. sc. c. 24. *Sicut Palma exaltata sum in littoribus & sicut Plantæ Rosæ in Jericho*, cum ipso arbitramur, omnia suadere, locum accipiendum, de vulgaris notitiæ flore, quæ Rosa dicitur & in planitie Hiericho fertili superbit speciosissima.

TH. XXIX.

An vero in valle Jericho superbientes & pretiosissimæ Rosæ, habeant 150. folia, ut non nemo asserit, merito dubitatur.

TH. XXX.

Rosam de Jericho dictam non divinitus & miraculose in Vigilia Nativitatis Christi Redemptoris nostri, aut instante partu, in aqua aperiri, probavit *Petrus Bellonius*, facto periculo declarans, illam quolibet tempore ramos expli-

explicare, & formam globosam amittere, si radix vel potius tota arida planta in aqua mergatur.

Th. XXXI.

Iterum iterumque facto periculo, Viri Rei Herbariæ studiosi plures, idem quod *Bellonius* & nos observavimus, Phænomenon observarunt, & potest idem quovis tempore curiosorum oculis subjici.

Th. XXXII.

Frustra unus & alter, ut effectus mirabilis in vigilia Nativitatis Christi seqvatur, postulant Aquam benedictam seu lustralem; cum & in vigilia Nativitatis Christi, & quolibet alio tempore, in quavis aqua, puteali, fontana, pluviali &c. etiam sese expandat & explicet ante globosa Planta.

Th. XXXIII.

Vera causa, quare conglobati & cancellatim quasi impliciti ramuli, strigosi & aridi sese explicent, est, quia bibula est valde substantia lignosæ plantæ, facileque per poros in ramos admittitur humor, quo turgidi tenduntur atque ita expanduntur, majusque spatium requirunt: quod quodammodo illustrari potest, exemplo Turundarum ex spongia arte compressa, aut radice Gentianæ in vulneribus & fistulis, nec non Pisi in Fonticulo.

Th. XXXIV.

Quare autem in nostra Planta, quando viriditatem

amittit & arescit, nec non, quando arida, aquæ commissa radice, denuo expansa fuit, extra aquam paulo post omnes ramuli introrsum incurrentur, causa non est siccitas sola, sed supplementum causæ videtur petendum, ex singulari lignosæ substantiæ textura, quam acies oculi humani non assequitur.

TH. XXXV.

Rosam Hierichunticam in Natali Christi florere, qui scripsit, non potuit illud probare, nec alius post illum.

TH. XXXVI.

Molliori interpretatione opus habent verba *Jacobi Cornuti* Doctoris Medici Parisiensis, quando scripsit *Rosæ Hierichunteæ, trigesimo postquam eruta est anno, si radicem aquæ madefactas, quæ conglebatis erat in sese ramulis, strigosis, aridis & mortuis, hujus illico brachia revivescunt, flosculique contracti extenduntur, expanduntur que, stupendo quodam Naturæ miraculo:* cum neque vitæ neque viritidatis ulla se manifestent in ea indicia, & capsulæ seminales locum flosculorum occuparint.

TH. XXXVII.

Quando quibusdam in locis obstretrices in difficili partu, morâ periculum minitante, ex apparatu suo Rosam de Jericho promunt & spectante Parturiente radicem aquæ committunt, ramulisque lignosis contractis & conglobatis aridisque paulo post se expandentibus, inter spem & metum tum Parturientis tum adstantium

Ma-

Matronarum, fidem faciunt, ſicut Roſa de Jericho ante oculos & in conſpectu illarum, ſe expandit, ita modo apertum eſſe internum matricis oſculum, propterea dolorum finem & felicem jamjam partum imminere, dulcem illis narrant fabulam.

TH. XXXVIII.

Ambiguitatis plenum eſt pronunciatum Dn. *Th. Bartholini*, quod legitur in Actis Hafnienſibus, *obſtetricum obſervatio ſi quicquam veri habet, humorem puerperii transplantari.*

TH. XXXIX.

Quod Roſa de Jericho ab Obſtetrice in gratiam parturientis Aquæ commiſſa, ramos illa expandente, Femina flatim pariat ſine periculo, Partum dubium illa componat & anguſtias illius fœtu propero compenſare valeat valde utilis puerperis, facto periculo falſum deprehenditur.

TH. XL.

Imo etiam non facto periculo Medicus in Naturæ & Artis operibus verſatus, certus eſt has & ſimiles locutiones eſſe hyperbolicas.

TH. XLI.

Obſtetricum noſtrarum Majores videntur dedidiciſſe decantatum illud, ad erigendas per Roſæ Hierichunticæ phænomena, inter ſpem & metum doloresqve languen-

guentes parturientes excogitatum institutum, quia de illo altum apud istas silentium.

TH. XLII.

Majorem tamen olim illius fuisse gloriam, etiam apud nostrates, inde colligimus, quia in Nobilium Familiarum non paucis, ejusmodi Rosæ dictæ de Jericho inter pretiosa asservantur, ostentantur, ante seculum & quod excurrit, à majoribus etiam asservatæ & ostentatæ, dubia semper manente narratione virtutis in puerperio.